Eminentissimi et Reverendissimi Domini

Num. 2.

Epistola Rmi Eppi Varmiensis, qui pariter contestatur Varitatem et insubsistentiam Eorum, quæ in Contrario libello perperam nimis obiecta sunt Suo Capitulo, et istius iustam petitionem de condigno tuetur et promovet.

Nunquam mihi magis novum et inexpectatum accidit audire, quam porrectum fuisse EE. VV. memoriale nomine mensæ Episcopalis Varmiensis, idq; me totaliter inscio, qui tamen Dei et Apostolicæ Sedis Gratiâ illius actu Possessor. Mirum pariter et usq; ad molestiam, absurdum visum mihi est præfati memorialis contentum, et præcipue decantata in eo universa commotio Cunctorum Senatorum, omniumq; Ordinum Reipublicæ Nostræ, cum certo certius in proxime præteritis Comitijs, ne verbum quidem de petita à Venerabili Capitulo meo Gratia in alterutro ordinum præfatorum Conclavi prolatum fuerit. Quod equidem commentum coram Sacro Sancto EE: VV. conspectu impudenter prolatum satis, superq; demonstrat quantus animi Candor in scribente, quantave in motivis ab eo adductis veritas reperiatur. Ego interea omittere non possum, quin tanqm Varmiensis Episcopus, et Poloniæ Senator, coram æquanimitate EE: VV. alte conqueror, contra hunc falsum Mensæ meæ Episcopalis Procuratorem, et Majestatis Regni Nri prostitutorem, quasi vero tam debili staret fundamento Reipublicæ Poloniæ tranquillitas, ut privata unius Capituli petitione perturbaretur. Accedit his omnibus Enormis Injuria Illrmo Dno Nuntio Nostro aperte, Mihi vero tacite inusta, ac si minus ponderate ille, minusq; sane EE: VV. in negotio Capituli Mei informasset, et ego quoq; Seposito commodo Mensæ Episcopalis et Successorum meorum, injustum in hac materia votum EE VVnis exposuissem. Capitulum Meum Varmiense justa petit, Supplicando pro præmio Laborum, quos plures et graves habet hac Sede Vacante; vera exponit asserendo Capitula Poloniæ vacantibus Sedibus sat magna habere pro se ex proventibus Episcopalibus emolumenta, et tandem prudenter futura prospicit, optando;

ut Sacra ista Congregatio determinatam ipsi portionem Proventuum assignare dignetur, ne cum neo Intrantibus Episcopis ulla dissentionum occasio subnascatur; dtq siquidem omnia Regni Poloniæ Capitula totalia Bona Episcopalia partitim inter se dividunt, et potiorem proventuum partem sibi adsciscunt, quam futuro Episcopo reservent: Capitulum autem Varmiense, ab hac participatione semper fuit alienum. quapropter Supplex iterum accedo ad E.E. V.V. favore prædicti Capituli mei, cuius petitioni benignum et favorabile rescriptum sine longiore Cunctatione dandum humillime et instantissime rogo. et tandem perenni cultu maneo,

E.E. V.V. Heilsberga etc.

Humillimus, Devotissimus et obligatissimus Servus

Theodorus Episcopus Varmiensis
Nominatus Primas Regni Poloniæ

SACRA.
Congregatione
Concilij
R. P. D.
Lambertino.
Secretario.

Varmien.
Pro
Rmo Capitulo Varmien.

Memoriale cum Summario.

Typis Zinghi et Monaldi
1723.

140.